




V
B
J
A
6280 II
HISTORIA

Przybylski Sectio III.

97.

Pr. VI. 27.

Są to znaki dawnych Local-Repertoryów dziś na nic nie przydatne.



S. D. N.

Dn. Urbani diuina prouidentia Papæ VIII.


SVPPRESSIO

Prætensæ Congregationis Iesuitissarum.

ROMÆ

Ex Typographia Reu. Cameræ Apostolicæ.

M. DC. XXXII.



M. DC. XXXVI.

Isai. 27.

Mulieres venientes & docentes eos: Non est enim populus sapiens.



VRBANVS

EPISCOPVS SERVVS SERvorum DEI ad perpetuam rei memoriam, &c.



PASTORALIS Romani Pontificis, cui cura Vineæ Domini Sabaoth ineffabili superni Patrisfamilias prouidentia concredita esse dignoscitur, Solicitudo in id præcipue incumbit, ne in agrum Dominium operarij sine delectu temerè se ingerant, sata dissipent, consita euellant, zizania inferant, & adulterinas in eo plantas super inducant. Licet autem orthodoxis Lateranensis & Lugdunensis Conciliorum generalium ordinationibus districte prohibitum esset, ne quis nouæ Religionis instituendæ Auctoritatem sibi arrogare præsumeret, pariterque fel: rec. Joannis XXII. virorum, & piæ mem. Clementis V. Romanorum Pontificum, Prædecessorum nostrorum, Salutaribus Constitutionibus mulierum cœtus Auctoritate priuatâ, & de facto instituti, tanquam exitiosi palmites, damnati & sublati fuissent, & nihilominus (prout non sine graui animi nostri molestiâ acceperamus) in nonnullis Italiæ & Vltramontanis partibus, certæ mulieres seu Virgines Jesuitissarum nomine assumpto, citra vllam Sedis Apostolicæ approbationem ab aliquot annis in vnum venire solitæ, vitæ Religiosæ ducendæ prætextu peculiarem, & distinctum à cæteris habitum vsurpassent, ædificia in Collegiorum formam redegissent, domos probationum erexissent, in eisque superiorem, ac prætensæ Congregationis suæ Generalem indito Præpositæ titulo, & attributi facultatibus bene visis constituissent,

ſent, in illiusque manibus, Paupertatis, Caſtitatis & Obedientiæ vota, ad inſtar ſolemnium emittere, clauſuræque legibus non adſtrictæ, pro libitu diuagari, ac ſpecie ſalutis animarum promouendæ, aliaque opera permulta ſexus & ingenij imbecillitati & modeſtiæ muliebri, ac virginali præſertim pudori minime conuenientia, & quæ viri ſacrarum litterarum ſcientia, rerum vſu, vitæque Innocentia ſpectatiſſimi difficile admodum, & non niſi magna circumſpectione adhibita aggrediuntur, attentare, & exercere conſueuiſſent. Nos excreſcentes in agro militantis Eccleſiæ vepres mature euellere ſatagantes, venerabili Fratri Aloyſio Epiſcopo Tricarienſi, noſtro & Apoſtolicæ Sedis in partibus inferioris Germaniæ Nuncio, & nonnullis locorum Ordinariis dedimus in mandatis, quatenus propoſitis grauibus periculis, & ſcandalis exinde reſultantibus, mulieres, ceu Virgines præfatas ex parte noſtra Apoſtolica ſerio monitas à temerario incepto, ad ſaniora conſilia reuocare conarentur, verum quia illæ DEI timore, ac noſtro & Sedis Apoſtolicæ reſpectu poſthabito in graue animarum ſuarum præiudicium, & bonorum omnium offenſionem, arroganti contumaciâ, paternis & ſalutaribus monitionibus noſtris nedum paruerunt, ſed etiam indies ſimilia attentare, ac multa ſanæ doctrinæ aduerſantia proferre non erubeſcunt: Nos tantam temeritatem acriori Cenſura coërcendam, & plantas iſtas Eccleſiæ Dei noxias, ne vlterius ſe diffundant, radicitus euellendas & extirpandas eſſe decreuimus. Habita itaque cum Venerabilibus Fratribus noſtris. S. R. E. Cardinalibus aduerſus hæreticam prauitatem generalibus Inquiſitoribus, ab eadem Sede ſpecialiter deputatis, matura conſultatione, de illorum vnanimi conſilio & aſſenſu, Conciliorum præfatorum decretis, eorundemque Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes prætenſam Congregationem mulierum, ſeu Virginum Jeſuitiſſarum nuncupatarum, illarumque Sectam, & ſtatum abortus ſui primordio nullos & inualidos, nulliusque roboris vel momenti fuiſſe & eſſe, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium decernimus, & declaramus. Et quia de facto proceſſerunt, eadem Auctoritate, & penitus ſupprimimus omnino & extinguimus, perpetuæq; abolitioni ſubiicimus, & ab Eccleſia DEI ſacroſanctâ funditus tollimus, delemus, & abrogamus, ac pro ſuppreſſis, extinctis, euulſis, deletis, & abolitis ab omnibus Chriſti fidelibus haberi, & reputari volumus, & mandamus, nec mulieres & Virgines huiusmodi ad votorum præfatorum obſeruationem vllo modo teneri, aut obligari volumus. Inſuper aſſertas viſitatrices, Rectrices, & Præpoſitam Generalem, ac alias quaſcunque Congregationis, & Sectæ

huius-

huiusmodi officiales,quocunq; nomine appellatas, officiis & muneribus ſuis de facto vſurpatis, omnino priuatas eſſe, & fore decernimus, pariter & declaramus, & quatenus opus ſit, priuamus, illasque ab eiſdem officiis,& muneribus omnino amouemus, easque omnes, & ſingulas mulieres, ſeu Virgines, quæ voti, ſeu vniuscunque alterius vinculi promiſſionis, vel cuiusvis cauſæ prætextu ad aliquam Obedientiam ſe obligatas putarent,ab ea, & quocunque vinculo, & promiſſione huiusmodi,etiam ratâ,& iuratâ abſoluimus, & totaliter liberamus. Adhæc mulieribus ſeu Virginibus,& aſſertis earum ſuperioribus, præfato, & quocunque alio nomine nuncupatis, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub Excommunicationis maioris pœna ipſo facto incurrenda, à qua nonniſi à nobis ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo conſtitutæ abſolui poſſint, præcipimus, & mandamus, vt extra huiusmodi Collegia & domos, vbi hactenus habitarunt, aliæ ab aliis ſeorſim degant, nec inſimul ad aliquod ſpirituale,& temporale conſultandum, ſeu peragendum, aut de eo quovis modo tractandum conueniant, ſuſceptum per eas de facto, vt præfertur,habitum ſtatim deponant, nec illum amplius reaſſumant, minusque alias Virgines, ſeu mulieres ad illum admittant, vel recipiant,nec vlli earum ad hoc conſilium,auxilium, vel fauorem, directè, aut aliàs quomodolibet præſtent, vel pro Religioſis ſeu prætenſæ Congregationis, aut Sectæ huiusmodi ſequacibus vllo modo ſe gerant, mulieres etiam ac Virgines, quæ eo animo vota, licet de facto, vt præfertur, emiſerunt, vti in illo ſtatu ab Apoſtolica ſede reprobato, ea emiſſuræ non fuiſſent, vtpote conditione, ſub qua tacite vouerent, non impleta à votorum huiusmodi obligatione omnino ſolutas, & liberas eſſe declaramus. Quæ autem in quæcunque euentum vouere voluerunt, cum earum vota ſint ſingelicia, honeſte viuere, ſeorſum tamen ab aliis huius reprobati Status ac prætenſæ Congregationis, ſeu Sectæ, & ab omnibus ſupra prohibitis abſtinentes in ſæculo, poterunt ſub Ordinarij Obedientia, & cum vſu non dominio bonorum, ſed tantum cum facultate, quam illis miſericorditer concedimus, de illis in vita & in morte, ad vſus pios digerendi ab inteſtato etiam ad eos deuoluendi, qui Paupertatis voto ab his mulieribus non emiſſo, illis ſucceſſuri fuiſſent. Et in euentum, in quem aliquæ ex mulieribus ſeu Virginibus præfatis, ad coniugalem ſtatum tranſire voluerint, eis permittimus, vt Matrimonium, ſeruatis aliàs ſeruandis contrahere poſſint, eisque Apoſtolicam Benedictionem, & quatenus opus ſit, cum omnium votorum de facto, vt præfertur, emiſſorum relaxatione

impertimur. Quoniam vero secundum Apostolum, qui matrimonio iungit Virginem suám, benefacit, & qui non iungit, melius facit, easdem mulieres & Virgines per viscera misericordiæ Christi, quo possumus, paterno charitatis affectu monemus, & in Domino hortamur attente, vt desiderij, quod se Regularis vitæ ducendæ teneri ostenderunt, memores, tollant iugum Domini super se, & abnegantes semetipsas, & sæcularia desideria, approbatum, ab eadem sancta Sede aliquem Sanctimonialium Ordinem quantocitius ingrediantur, inibique fideli, & pia promissione, vota voueant DEO JACOB, & innocentes manibus & mundo corde, in assiduo spiritualium operum exercitio superædificantes, exhibeant se illustriorem gregis Christi portionem, lampadesq; suas flamma Charitatis succensas prudenter aptent sponso Cœlesti obuiam ituræ, Decernentes præsentes litteras, omniaq; & singula in eis contenta etiam ex eo, quod prætensæ Congregationis vel Sectæ mulieres aut Virgines huiusmodi, vel alij quicunq; in præmissis seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, eis nullatenus consenserint, nec ad ea vocatæ, & auditæ, seu vocati & auditi, minusq; causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, adductæ verificatæ, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatæ fuerint, nullo vnquã tempore de subreptionis, obreptionis, Nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato & substãtiali, siue etiã ex eo quod in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia seruãda & adimplenda, seruata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio Capite à Jure, vel facto aut statuto vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocunq; alio colore, etiam in corpore Juris clauso seu occasione, vel causa etiam quantumvis iusta, rationabili & priuilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra huiusmodi & aliis superius expressis, seu relatis, nihil alibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, inualidari, retractari, in Jus vel controuersiam reuocari, aut ad terminos Juris & reduci, vel aduersus illos restitutiones in integrum aperitionis oris, reductionis ad viam, & Terminos Juris, aut aliud quocunq; Juris, facti gratiæ, vel Justitiæ, remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam vti, seu iuuari in Judicio, vel extra posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum, reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendi, comprehendi, sed semper

ab illis exceptas, perpetuoq; validas, firmas & efficaces exiſtere, & fore; ſuosq; plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac per omnes & ſingulos, ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit, in futurum inuiolabiliter obſeruari, ſicq; & non aliter in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcunq; Judices, ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos & Nuncios, aut aliàs quavis Autoritate, & poteſtate fungentes in quavis causâ, & Inſtantia, ſublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & Auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere, irritum quoq;, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis Auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis noſtris & Apoſtolicæ Sedis Nunciis, nec non Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum ordinariis, vbilibet exiſtentibus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, vt ſtatim atq; præſentes noſtræ litteræ, ad eorum, & cuiuslibet eorum notitiam, quo quomodo peruenerit, illas ſolemniter publicent, & publicari faciant, ac in eis contenta quæcunq; debitæ executioni demandent, & demandari procurent, per ſe vel alium, ſeu alios prout in Domino iudicauerint expediri. Contradictores quoslibet & Rebelles ac præmiſſis non parentes, per ſententias, Cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; oportuna Juris, & facti remedia, omni & quacunq; appellatione, recurſu, & reclamatione remotis compeſcendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus, quatenus opus ſit recolendæ memoriæ, Bonifacij Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, de vna & in concilio generali edita de duobus dictis cæterisq; in contrarium facientibus quibuscunq;. Vt autem præſentes, & in eis contenta quæcunque, ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eius ignorantia prætendere poſſit, volumus pariter & mandamus, quod eadem præſentes, per aliquem, ſeu aliquos ex verſoribus noſtris ad Eccleſiæ Lateran. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ valuas, ac in acie campi Floræ affigantur, & publicentur, & cum inde amouebuntur eorum Exempla in eisdem locis affixa dimittantur, quæ ſic publicatæ & affixæ poſt duos menſes à die publicationis computandos, omnes & ſingulos quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac ſi vnicuiq; illorum perſonaliter notificatæ & intimatæ fuiſſent, quodque illarum tranſumptis impreſſis Sigillo alicuius Perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, & manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præ-

ſentibus

sentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, extinctionis, subiectionis, ablationis, deletionis, abrogationis, liberationis, præcepti, declarationum, decretorum priuationis, amotionis, absolutionis, permissionis, impartitionis, monitionis, hortationis, voluntatum & mandatorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis M. DC. XXXI. Idibus Ianuarij, Pontif. nostri octauo.

Eg. Dat. A. Rondininus.

Visa de Curia A. Hurandus.
G. Montanus, &c.

MAGISTRATA IN SECRETARIA Breuium.

IN DEI nomine, Amen. Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1631. die vero 21. Mensis Maij, Indictione 14. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Vrbani, diuina prouidentia Papæ Octaui Anno eius octauo.

Supra dictæ litteræ Apostolicæ publicatæ & affixæ fuerunt ac dimissis copiis ad Basilicas SS. Ioannis Lateranens. nec non Principis Apostolorum vrbis, & in Cancellaria Apostolica in acie campi flora, &c.



Matthias Spada M. Cursorum.



